AD PAULUM MOCCIAM EPISTOLA

12.

A . D

PAULUM MOCCIAM

EPISTOLA

Peccantes coram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant. Paul. Ep. 1. ad Timoth. c. 5. §. 20.

PAULO MOCCIÆ

Philalethes

S.

EX quo primum superioribus diebus rumor per urbem dilatus est, te quod aquis innatares, nudum visendi tui cuilibet copiam facere, res omnino incredibilis visa est. Mihi enim persuadere non poteram, sanum hominem, adhæc christianum, sacerdotem denique nuditatis suæ spectaculum præbere. Sed quando viri fide dignissimi coram inspectasse narrarunt, ut ea de re jam dubitari non possit, meis partibus me defuturum credidi, si te audacter non monerem ac familiariter, quod videris præter ætatem tuam facere, & præterquamquod gradus gravitas adhortatur. Et licet verear, ne quæ ad te scribere statui, æqui bonique consulas; tibi tamen consilio deesse nolui, ut si nihil profeceris, mihi saltem irasci non possis, quum meos animi sensus aperte significaverim. Quem enim latet homines ceteris animantibus præstare, quod in omni re, quid decorum sit videant ac tueantur? Neque vero in eo solum decori vis sita est, ut appetitus rationi obediant, atque omni animi perturbatione careant; sed (1) *in omnibus factis, & di-*

(1) *Cic. de Off. l. 1. c. 35.*

ctis, in corporis denique motu, ac statu, ut gressus, sessio, accubatio, ceterique corporis actus verecundiam, & quemdam vitae ornatum praeseferant. Et quoniam decorum apprime naturae consentaneum est, profecto nunquam aberrabimus, si naturam ducem ac magistram sequemur. Jure igitur (1) *quae natura occultavit, eadem omnes qui sana mente sunt, removent ab oculis*. At quis heic non stomachetur, te jam in senium vergente aetate, non pectus modo ac ventrem, scapulas & latera; sed & eas partes, quas natura contexit, conspiciendas veluti in scenam proferre, amicos de novo spectaculo ultro certiores facere, frequentissimam spectatorum turbam non modo non prohibere, sed & ex ultima urbe arcessere, litteras denique quasi ludorum nuntios libellos dare, eique spectaculo non solum juvenes ac senes, sed & imberbes pueros, feminasque interesse? quis aequo animo patiatur eas corporis partes, quas nobismet solis praeter necessitatem adspicere turpe est, in conspectissimo urbis loco omnium oculis objicere? etsi enim in tanta concursantium unda nonnullos videndae natationis caussa properare existimem, fieri tamen non potest, quin plurimi ad nudi hominis spectaculum potius confluant. Saepius enim accidit, ut de te sermo inciderit, nonnulisque de tuis clunibus, de tuo femore, de tuis testibus, quos ipsi viderant, verba fecerant. Vide quo tua te demisit inverecundia! At vero quantum tuae existimationi detractum est, quum

1) *Id. ib.*

quum nuntiatum fuit, te nudum in lance pensitatum, ac centumpondium fuisse! quo in periculo eo deventum est, ut alii ventrem, alii faciem, alii nates familiariter attrectarent. Tuque ineptissimus homo omnium votis obtemperans huc & illuc non sine omnium risu, obscœnisque salibus jactabaris. Hominemne hæc decere existimas, quem non ad ludicra, sed ad severitatem & graviora quædam studia factum scimus? At enim, inquies, faciendum fuit, ut de novo naturæ portento periculum fieret. Quid tu novum jactas, quod in pluribus aliis, ac nuperrime in Principis Francavillæ fabro lignario, & Ariciæ Principis veterinario, in iis denique omnibus usuvenire accepimus, qui in curanda cute toti sunt, atque otio ac luxuria diffluunt? Itaque miraculum hoc certe tanti non erat, ut ejus gratia honesti decorique leges frangerentur. Aut si tanti intererat novo hoc phænomeno rem litterariam augere, unus aut alter in re physica versatus arcessendus erat, quocum rem totam communicares, præterea nemo. Denique si & alii admittendi erant, nonne corporis pudenda obtecta oportuit? *Scenicorum* (1) *quidem mos tantam habet veteri disciplina verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo: verentur enim, ne si quo casu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, adspiciantur non decore.* Tu vero neque hanc, quam ethnici histriones præseferunt, verecundiam tenuisti, ut comicis ipsis tibi sit concedendum. Ac-

 cedit

(1) *Id. ib.*

tedit, quod ut in te fere omnium oculos, ita & omnium jocos ac dicteria in te unum concitasti, ut vulgi fabula fieres. *Adhibenda est* (1) *quædam reverentia adversus homines, & optimi cujusque, & reliquorum. Nam negligere quid de se quisque sentiat non solum arrogantis est, sed etiam dissoluti.* At tu quanto civitati universæ ludibrio es, quum quilibet phænomenon hoc aut pro sua in rebus physicis inscientia, aut pro lubidine explicaturus illiberales turpesque facetias de te congerit! Hesterno enim die in frequentissimo amicorum comitio, ut de tua in aquis levitate ratio reddi posset, alii te in cibos potusque intemperanter ab ineunte adolescentia ingurgitatum, crescentibus annis enervem exsuccumque evasisse ajebant; teque non semel vidisse adfirmabant, adeo gulæ ad Gnathonis fastidium servientem, ut ventri natus videreris. Nonnulli Tympanitæ morbo implicitum jactabant. qui enim hujusmodi vitio laborant, cadaveris instar aquis innatant. Ceteri vero te a teneris unguiculis tam perdite Veneri operam dedisse, ut imminutæ prorsus ac debilitatæ remanserint vires. Nec defuit qui ferus jocularia miscens, te sine ponderibus & vacua cum mente [2] in undis gravem non esse dixit. Fuerunt etiam, qui rem ipsam in dubium revocarent, teque sublestæ fidei hominem alias experti, heic etiam verba dare assererent. Fieri enim posse ajebant, ut furtim manus pedesve sub aquis,

(1) *Id. de Off. L. 1. c. 28.*
(2) *De lapide ille Epigrammate intelligis, quod per omnium manus volitat, quod tamen hoic referre pudet versus.*

aquis tinctilium moveres, quantum vix sustinendo corpori sat esset. Eo scilicet loci tua te deduxit insania, ut in omnium ore non sine ludibrio verseris. Quod si haec vel eos dedecerent, qui ab omni litterarum cultu plane abhorrent, quam minime eum decebunt, qui humaniores litteras in cultissimo nobilissimorum juvenum collegio, atque inter gravissimos, emunctaque naris homines profitetur? Quo enim pacto posthac auditoribus tuis Tullium explicare audebis, qui eam honestatis partem, in qua verecundia ac rerum modus cernitur, accurate persequitur? Romanas antiquitates pro tui muneris partibus qui vel nominare istic poteris, quum *Romano* (1) *more puberes filii cum parentibus, cum soceris generi non lavantur*, licet *clericque* (2) *se & in lavacro quantum possunt tegant, ne vel illic ubi nudum totum est corpus, tecta non sit portio genitalis*? quin & mulierum adspectui in lavationibus sese surripuisse, distincta (3) utriusque sexus balnea satis arguunt. In fluviorum etiam fontibus (4) quos Diis dicatos existimabant (5), natare nefas erat; ne sacrae aquae impuro actu pollui viderentur (6). Eaque Tiberis pars natationibus addicta, quae Martis campum praeterfluebat extra Urbem (7), ne indecora la-

(1) *Cic. de Off. l. 1. c. 35. Plut. quaest. Rom. 40. & in M. Cat. Val. Max. l. 2. n. 7. c. 1. Charis. l. 1.*
(2) *Ambr. de Offic. l. 1. c. 18.*
(3) *Var. L. L. l. 8. c. 42. Vitruv. l. 5. c. 10.*
(4) *Sen. Ep. 41.*
(5) *Tac. Ann. l. 14. c. 22. & ibi Lips.*
(6) *Plin. lib. 8. Ep. 8.*
(7) *Veg. lib. 1. c. 10.*

lavatio civium oculos turbaret (1). De historica vero re quid dicam? Anne existimas ex adolescentibus istis adultiores adeo veterum fastorum ignaros, ut non calleant, quantam in hac re majores nostri non dicam christiani, sed idolorum cultores adhibuerint diligentiam? Nam Hadrianus (2) *balnea pro sexibus separavit*: idemque de Marco Antonino Philosopho [3], atque Alexandro Severo [4] accepimus. Gordianus ipse imperator [5] *socero suo Annio Severo tantum detulit, ut nunquam cum eo laverit*. Nec est, quod de juris scientia aliquid addam. Scimus enim Valentinianum, Theodosiumque [6] nec effraeni ipsi militum licentiae dedisse, ut nudi coram commilitonibus lavarentur, *ne publicos oculos incestarent, sed procul a cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluviorum hoc ipsum facerent*. Ipsæque regni pragmaticæ Sanctiones [7] sine femoralibus natantes ignobiles quidem quatuor funium ictibus, nobiles vero aliis ad Regis arbitrium poenis coercendos decernunt [utra ex iis tibi poena conveniat, prosapiam tuam consule] Hæc, inquam, omnia ne nominare quidem poteris, ne tua ultro prodeat inverecundia. I nunc, si potes, & auditoribus pudorem instillare audeas, qui omnem verecundiæ sensum exuisse videris? severiora Ethices placita ipsis ad aures insusurres, cum decorum honestumque totius mo-

(1) Gothofred, ad lib. 3 Cod. Theod. tit. 1. de Re Mil. 13.
(2) Æl. Spart. c. 18. (3) Jul. Capitol. c. 23.
(4) Lamprid. c. 24. (5) Jul. Capit. c. 6.
(6) Cod. Theod. lib. 7. tit. 1. de Re Mil. 13. Cod. Justin. lib. 12. tod. leg. cum supra Basil. lib. 57. tit. 3. de Re Mil. 12.
(7) Tit. de regaliis pragm. III. & V.

morum scientiæ fundamentum adeo per te pessum iverit! Immo scias tibi non cum popularibus adolescentulis istic agendum, sed cum generosissimis ephebis, qui ab avorum sanguine honesti leges derivasse videntur, ut quid quemque maxime deceat ab ipsis, ut ita dicam, incunabulis non ignorent. Itaque pro certo habeas, novo hoc intemperantiæ genere tuam consuetudinem molestissime eos ferre, & licet composito ad familiaritatem vultu id coram significare non audeant, tecum tamen vivere, & tecum per urbem prodire erubescunt. At vero quod nec christianum, nec sacris initiatum te esse memineris, in eo, mihi crede, omnem petulantiam superas, ethnicisque sacerdotibus te longe deteriorem ostendis. Ego enim legisse memini, Flamines Diales (1) *tunicam intimam, nisi in locis tectis nunquam exuisse, ne sub cælo, tamquam sub oculis Jovis, nudi forent*; eoque capite nec inungi poterant (2). Adeo nuditatem sacerdotes dedecere putabant. Tu vero ecclesiasticus homo in apertissimis locis, in frequentissimo hominum conspectu, quantus quantus es nudum te cuilibet offers, nec ipsis mulierum oculis te surripis. At ea in re ecclesiastica comitia, eorumque sanctiones quam parvi feceris res clarior est, quam ut monitore indigeat. Nam ut Constitutiones, quas dicunt, Apostolicas (3) mittam, Laodicenos (4) Trullanosque (5) canones, in quibus obscœna hæc lascivientium porten-

ta

(1) *A. Gell. l. 10. c. 15.* (2) *Plut. quæst. Rom. 40*
(3) *Lib. 1. c. 9. Vide ibi Cotelerium.*
(4) *Sub Sylvestro can. 30*
(5) *Can. 77. V. ibi Beveregium, & Christianum Lupum tom. 3*

ex apertissime vetantur, quem licet non dicant effrænem hanc luxuriæ speciem, sed spectacula (1), jocos, scurrilitatem, ludos, & hujus generis alia passim clericis prohibita. *Sic decet omnino* (2) *clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Tu vero impudicissimus Praspl sacerdos id unum quam diligentissime curas, ut quisquis penitioribus ejus sacris initietur. At scimus sanctum Ammonem (3) coram seipso nudari erubuisse, & fideles (4) ex die baptismi quotidiano lavacro abstinuisse. Gregorius (5) etiam M. Nicolaufque I. (6) nullo prorsus pro luxu animi ac voluptate lavari in balneis concessere. Agmen cogat Cyprianus [7], qui promiscuas balneas exsequutus: *theatro*, inquit, *sunt fœdiora quo conveniunt: verecundia illic omnis exuitur, simul cum amictu vestis honor corporis ac pudor ponitur*. Nec porro cum vestibus verecundiam futurum sit, *cui ad inverecundiam proficit nuda nuditatis*. Habes heic expressam tuæ fœditatis imaginem. Vide interea, quo te adduxit gloria illa, qua post siparium latere turpe existimas, & in scenam prodire mavis, securus cadat an recte [illegible] stet.

(1) *In canonibus fere omnium conciliis, ac Decretis.*
(2) *Trid. sess. 22. De Vita, & honest. Cler. Adde Turon. sub Leon. Can. 7.*
(3) *Christ. Lup. l. c. Pallad. in hist. Lausiaca.*
(4) *Tertull. ad Cor. 3.*
(5) *Lib. 14. Ep. 3.*
(6) *Resp. ad Consult. Bulg. & addi Clem. Alex. Pædag. l. 3. c. 9.*
(7) *De habitu virginum.*

ftet fabula talo. Sed dum tuæ exiftimationi te confulturum pro certo habes, tuam potius inverecundiam pofteritati commendas. Verum non defunt, qui in vulgus jactitent, te ea de caussa tibi plaudere ac triumphare; quodque de te fermo non femel apud urbis proceres quosdam inciderit, jam fummis honoribus inhiare admurmurant. Ego vero rumores hosce a malevolis dilatos exiftimo. Nam fi ii essent animi tui fenfus, profecto nec tres tibi fat forent Anticyræ. Anne credis feverissimos viros jam non impudentissimum hominem, fed impudentiam ipsam fua fub fide recepturos, ac te, quod aquis innates, egregiis præmiis aucturos? Immo vero ex his duos fcimus gravissimos fummaque auctoritate viros fese cohibere non potuisse, quin tuam tibi intemperantiam coram exprobrarent. Præfertim quum de tua linguæ procacitate, a qua nemo adhuc inultus evafit, universæ civitati certissima fuppetant argumenta. Sed nunc vide, quam isthæc tibi bene conveniant. Dum enim nulli amico per fummam injuriam peperciſti, iique juftas pro meritis pænas de te fumere adhuc neglexerunt, Deo rerum vices fic temperante, tute tibi carnifex es, tuisque manibus tibi perniciem meditaris. Superiore enim anno insulsissimas Epiftolas blattarum epulis potius damnandas in lucem emittens omnium in te ftomachum concitafti. Nunc in eam incontinentiam ultro laberis, qua obfcænior ne excogitari quidem poterat. Utinam & aliquando fapias! Quod fi mecum expoftules, tantum abs re mea esse otii, aliena ut curem, eaque nihil quæ ad me attinent; fcito hominem me esse: humani nihil a me alienum putare. Vale. IV. Kal. Sept.

M 937019

Digitized by Google